Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 193
Quelle:
Copyright:

fine L. I. *anni quingenti nonaginta mille ducenti*, noſter *anni mille centum duo. Colon.* p. 417. E. *in comperto annorum*, noſter *in computu* &c. Ut adeo *Codex* hic neutiquam negligendus ſit illis, qui incliti hujus Popularis noſtri Scripta prelis denuo ſubdere meditabuntur.

III. *fol.* 140. Ejusdem *Commentarius in Libros Judith et Eſther*. In Editione *Operum Colon.* T. III. p. 243. praecedit ſat mendoſa *Praefatio* carmine hexametro. Hujus loco Exemplar noſtrum in fronte gerit, quod ſequitur: *Prologus Rabani in Librum Judidh. Dominę Electę et Merito Magnę Pietatis ab omnibus uenerandę atque amandę Juditę Auguſtę. Rabanus ſeruorum dei ſeruus. eternam in Chriſto ſupplex optat ſalutem. Juditha* haec eſt *Guelficae* Stirpis Heroina, ſecunda *Ludovici Pii* Imp. Conjux, quae 819. in illius torum venit, et *Carolum Calvum* enixa a prioris tori prolibus, privignis ſuis, *Lothario*, *Ludovico* et *Pipino* plurimum exercita obiit 843. A ſcriptoribus quibusdam horum Principum partibus addictis graviter incuſata, ab aliis contra defenſa eſt, ut compendio habes in *Gundlingianis* P. VII. p. 98. Poſterioribus jam accedat *Rabanus* noſter; ſic enim eam adloquitur: *Cum celſitudo magnitudinis veſtrę atque largitio benignitatis quę non ſolum amicis ſed etiam inimicis ab ipſius domini ore inſtructa prodeſſe didicit, plurimos faciat ſibi deuotos. nos etiam quantulacunque pars plebis a deo uobis commiſſę ſub pietate ueſtra degentes deuotum cogitamus uobis exhibere obſequium. Qui licet non ſimus cenſu pretioſarum opum locupletes. tamen ſtudio ſacrarum orationum non ſumus omnino uacui. quas inceſſanter cottidie deo pro uobis ueſtroque domino ſimul ac ſobole offerimus.* Haec itaque ante annum 840. *Ludovici* Pii emortualem ſcripta ſunt. *De cetero quia uos comperi laudabili excellere ingenio. et ſanctarum mulierum quas ſacra ſcriptura commemorat uirtutes ac ſtudium in bono opere imitari. non fruſtra arbitratus ſum quarundam illarum hyſtoriam — ueſtro nomini dicare atque transmittere. Judith. uidelicet atque heſter. quarum unam coequatis nomine. alteram dignitate.* Ab earum victoriis infert: *ſic et nunc ueſtra laudabilis prudentia quę iam hoſtes ſuos non parua ex parte uicerat — cunctos aduerſarios ſuos feliciter ſuperabit. Adhuc ergo in agone conſiſtitis. ac ideo neceſſe eſt, diuinum implorare auxilium. ut qui ſuo ſanguine mortem uicerat — in certamine iſtius mundi ueram uobis victoriam pariat. — Accipite ergo iudith omonimam ueſtram caſtitatis exemplum — Heſter quoque ſimiliter reginam. regina in omni pietatis et ſanctitatis actione imitabilem uobis ante oculos cordis ſemper ponite* &c. Dedicationem hanc, quam a *Pet. Franc. Chiffletio* acceptam *Sec. IV. Actor. O. S. B. P.* II. p. 42. publicavit *Mabillonius*, excipit *Capitum Elenchus*, et ipſe *Commentarius* hoc litera quadrata initio: *Arfaxat Itaque*